

† R. P. Gulielmus Bannon (1851-1932)

(Prov. Austral.).

Vix die 27 Maii 1932 sesquiannus intercesserat a die fausto iubilaei¹, cum R. P. Gulielmus Bannon animam suam Deo reddidit, nec senio nec aegritudine confectus. Etsi iam annum semisaecularem professionis religiosae una cum anno octogesimo vitae transegisset, ad tumulum C. F. Bartholomaei iter sex milium passuum pedibus ingressus est. Die dominica sequenti bis litavit et toties verbum Dei fidelibus praedicavit: attamen non sine negotio, nam intra primam Missam, dum contionatur, caloribus temperiei victus considerare coactus est. Licet tot difficultates obstarent et alius presbyter advocari potuisset, singulari fortitudine perstabat in incepto usque ad finem. Hebdomade elapsa infirmitas corporis praevalebat; pios sensus in animis confratrum alebant patientia, pietas, obedientia, aliaque virtutes insignes morientis. Altera hebdomade incepta tandem, circumstantibus et orantibus sodalibus communitatis, in osculo Domini quievit.

Verba, quae venuste Rm̄us et Exm̄us Edmundus Gleeson, C. SS. R., Episcopus Maitlandensis, in fine exsequiarum sollemnium coetui cleri et populi enuntiavit, famam huius servi Dei et Congregationis nostrae amatoris ante oculos proponunt. Rm̄us Episcopus, qui diu in familiaritate cum defuncto confratre versatus est, laudationem funebrem exorsus est a verbis S. Pauli: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex* (II Tim. IV., 7. 8).

«Haec verba in carcere a S. Paulo prolata sunt, cum peregrinationis terrestis suae finem appropinquantem sentiret... Haec eadem verba nunc adhibeo uti elogium elucens, nam persuasum habeo neminem recusaturum esse ea ponere bene accommodata in ore defuncti quem lamentamur. R. P. Bannon homo Dei erat, apostolus quidam, cui fuit et devotio animae et assiduitas par eorum, qui initio aevi christiani se effuderunt ad regnum Christi promovendum. Illi Deus erat omnia: supremum locum in mente tenebant res divinae et omnia sacra religione proposita: nihil aliud tam magnum tam dignum hominis studio aestimabat quam animarum salutem. Haec cordi eius iudicia immutabilia inurebant: haec eadem illum vehementem, opportune et importune, pro Dei gloria constituebant. Si fortasse oriebatur quaestio de Deo obediendo, cunctatio et amor sui in qualicumque discrimine crimen ab ipso censebatur.

« Huiusmodi qualitatis animi, nuper perpaucis ante diebus, dum copiosus invehebatur in scelera saeculi quae ortum habent in divinis mandatis

¹ *Analecta* X (1931), 210 sq.

derelinquendis, spiritum illustrem explicabat. Itemque, eodem tempore, dum populum hortatur ut generose ecclesiam ad Dei gloriam aedificaret, sic alloquium faciebat: «Sint dona vestra talia, pro quibus non quaeratis ut vosmetipsos incunditati detis aut animos relaxetis: neque quaeratis aliquid quod delectationem et adulationem mundi sapiat». *Bonum certamen certavi*. — Strenue pro causa Christi pugnavit, usquedum cursum suum consummavit. In Hibernia, Anglia, Scotia, Australia, Nova Zelandia per annos LII vitam Redemptoristarum duxit, nunquam industria languescens nec remittens quidquam de singulari ista fide et votis die sanctae professionis religiosae factis.

«*Fidem servavi*, i. e., ut textus genuinus explicat, fidelis eram Christo eiusque mandatis in omnibus circumstantiis vitae et operibus mihi praecipitis. Nullus erat inter Redemptoristas inde a diebus S. Alfonsi in observantia fidei sanctarum regularum viro hoc praestantior. Observantia monastica non erat ei ritus inanis. Observantia externa ipsi nihil valebat nisi indicium esset cordis pietate et religione formati. Itaque in intimo suo corde virtutem et sanctitatem colebat, satagens in se formare vitam et sensus Iesu Christi, ut cum S. Paulo diceret: *Vigo ego, iam non ego: vivit vero in me Christus* (Gal. II, 20). Notandum est quod festa sacra Ecclesiae, quae interveniebant, cum moribundus debilior fiebat, eadem erant, erga quae devotio particularis eum inflammabat, festa nempe Pentecostes, SS. Trinitatis, Corporis Christi, et B. Mariae V. christianorum auxilii. Sanctum Spiritum persaepe per diem invocabat; multum amabat dicere: «Benedicta sit Sanctissima et indivisa Trinitas, nunc et semper et in saecula saeculorum»; addictus devotioni erga SS. Sacramentum et Beatam Virginem fidelis erat aemulator S. Alfonsi. Mihi bene notum est defunctum nostrum confratrem per multos annos, permissu speciali Superiorum impetrato, nocte surrexisse et multas horas coram Sanctissimo consummasse.

«R. P. Bannon variis muneribus Congregationis SS. Redemptoris perfunctus est. Plurimos annos et in Hibernia et in Australia Magister novitiorum constitutus est: per sex annos Visitor erat Redemptoristarum in Australia foederata et dominio Novae Zelandiae: primus instituit juvenatum Australiae, ubi pueri regionis primos gressus faciunt ad observantiam et opera Redemptoristarum. Ille et ego participes et familiares eramus per multos annos in negotiis Congregationis administrandis in regionibus his Australianis; quapropter mihi multum placet quod, occasione data, coram omnibus laudem Reverendi Patris nostri atque eius virtutem laudationibus extollere possum.

«*In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*. — Sic absolvenda est pugna, sic consummandum iter asperum vitae christianae, sic annuntiandum est praemium provisum discipulo fidei Iesu Christi. Fides, spes, caritas capiunt coronam, illam